

agenda causa faciebant Inde *Latius* utrumque *Saxonicum* in Notitia Imperii dictum est. Circa ea tempora Francos ab ipsis Batavia pullos constat, eaque facta sunt antequam Britannia Saxonibus sedes præbuit, fidem discedentibus Francis in Westphalia successere. *Werinorum* deinde regna & *Thuringorum* a Francis partim, & partim à Saxonibus eversa sunt, quæ vetustioribus nominibus *Cheruscorum* & *Hermundurorum* diceret. Agei Werinorum (si *Frisiam* fortasse excipias) Saxonibus cecidit, iidem Thuringiæ partem obtinuerunt, inter Albim scilicet & Harzicos montes quæ diu *Norihuringia* in diplomatibus dicta est. Pars quoque Saxonum cum vicinis olim Longobardis in Italiam migravit. Postremo sub Imperatoribus Germanicis *Timidorum* pleræque regiones inter Albim Wartamque & ultrâ, partim coloniis Germanorum partim transgressis in mores nostros linguamque incolis, in Saxonum nomen concessere, & potissimam partem superioris Saxonum Circuli faciunt.



II.

G. G. L.

Oedipus Chymicus

ænigmatis Græci & Germanici.

Intermortuas Alchymistarum spes resuscitavit aliquot abhinc annis (Anno dom. 1700.) adolescens, à quo nihil tale expectares; qui Magdeburgo, Berolinum antea veniens, puer rudis, ibique artis pharmaceuticæ tirocinia ponens, animo nescio quomodo ad chrysopeoiam adjecto, postremò mira specimina edidisse fertur, quæ à multis celebrantur. Unum ab aliquot testibus oculatis mihi confirmatum est, quibus præsentibus, cum magistro suo pharmacopœo, jam initiatus huic disciplinæ, valediceret; tredecim bigrossos, quorum quisque duodecimam partem Thaleri currentis valere censetur, ab uno spectata-

spectatorum fortè suppeditatos in catinum coniecisse, & in lique facta tandem materia, exiguoque fragmine vitri subobscuri, vitrum ammonii propemodum referentis injecto, mox ejusdem cum tot bigrossis ponderis aurum sane probum effudisse narratur: Eaque acta, antequam Dresdam pervenit, ubi aliquandiu sub insignis Viri Ehrenfridi Waltheri Tschirnhufii, nuper magna scientiarum jactura extincti, inspectione egit.

Basilio Valentino plurimum tribuisse adolescentem ajunt, & alio quodam Manuscripto libro usum, quem ex Helvetia quidam Materia-rius (Materialistam vel Drogistam vulgo vocant) Berolinum attulerat, à Magistro suo Helvetio sibi creditum, & post subitam ejus mortem retentum. Cæterum fabulosa esse puto, & seriùs excogitata, quæ de nescio quo Græco Adepto apud Berolinenses transeunte, & in puerum liberali memorantur. Mea enim inquisitio paulo post rem gestam peracta est.

Vulgo ajunt, Basilium fuisse Monachum vel certe conversum Ordinis S. Benedicti, & Testamentum ejus, (sic pars Operum inscribitur) Erfordia sub altari primario repertum. Sed Iohannes Philippus Princeps Elector Moguntinus, naturalis scientiæ, (ut omnis doctrinæ) studiosissimus, perquisitione instituta nihil tale compèrire potuit. Alii in Walkenreda Cisterciensium cœnobio egisse fratrem Basilium volunt, narratiunculis fulti, quibus nihil certi subest. Vixisse sic indicat, (nisi alius sub persona ejus locutus est) cum incognitus veteribus morbus, quem Galli Hispanique sibi mutuo imputant, paulo antea Europam invasisset. Nomen fictum puto, frustra que in Monachorum nostrorum catalogis quæri: *Basilus* Regem, id est, aurum indicat, *Valentinus* sanitatem; itaque duos vulgo jactatos magnos effectus Mirifici Lapidis autorem indicare voluisse apparet, corporum humanorum & metallicorum emendationem. Præ cæteris Alchymisticis Scriptoribus methodum experientiamque spirat, multosque in Nassam Basilus pertraxit. Et Theodorus Kerckringius, Anatomicis alias laboribus celebris, & novæ philosophiæ peritus, non eo minus currum ejus triumphalem Ammonii Commentario illustravit.

Mea sententia si qua est ars aurifica & argentifica, tam facilis, ut fertur, & fructuosa, suppressenda esset multo justius, quam vitri malleabilis inventum, quod Tiberio bilem intempestive concitasse fertur.

Nam ubi emanaret in vulgus (quod vix evitari potest, si magna auri pondera quærantur) genus humanum privaretur melioris monete commodo, sanè magno. Aurum enim & argentum, portatilia & festilia & non adulteranda, collybistica schedulæ loco sunt per orbem, quam nemo notus ignotusve refutat, & multum in exiguo pretii est. Sed aucta nimium copia perfectorum metallorum, ad æs & libram redeundum foret, & (uti non ita pridem in Svecia) pecunia à rustico ex venditis in urbe agelli fructibus quæsitæ, non marsupio, sed carto domum referenda.

Sunt qui Tincturam illam celebrem metallorum, quam vulgò *Philosophorum Lapidem* vocant (etsi hunc vetustiores de Lapide Tincturæ Materia acceperint) negant ullo cum lucro parari posse; nam extrahi ex Auro quintam quandam Essentiam, (ut appellant,) quemadmodum ex vino spiritus elicitur. Hanc deinde alia metalla, & argentum præsertim tingere in aurum novum, veluti si ex spiritu vini & aqua vinum redderetur, aut quemadmodum Glauberis ex spiritu nitri & sale Tartari aliove fixo nitrum regenerare docuit, quod postea Robertus Boyleus integro libello illustravit. Hanc artem auri conficiendi, etsi parum lucrosam, imo damnosam, extrare mallet; neque enim commercia humanâ turbaret, & plurimum lucis in natura accenderet, tam raro corpore producto, cujus credendum est miram in alia efficaciam fore.

Sed multa hanc quoque operationem parum verisimilem reddunt. Et semper creditu difficile videbitur, sive ex auro ipso sive aliunde tincturam pares, materiam argenti, duplo pene spongiosorem auro, tam subito condensari contrahique posse, pulvisculo tantum injecto. Seminis vulgò comparatione utuntur, sed illud in organicis locum habet, nec tam subito operatur. Itaque potius pulveris pyrii similis foret tincturæ metallicæ operatio, quod etiam (si bene meminî) Augurellus Achimistarum poëta notavit. *Nitri* (modernorum intelligo, quod vulgò salem petræ vocant, non veterum) regeneratio, meo iudicio, apparens est tantum, nam pristinum nitrum, sed vi ignis ad magnam subtilitatem reductum, & larva liquoris palliatum, in spiritu nitri latere puto. Cæterum quod parum verisimile censo, non ideo impossibile pronuntiare ausim. Certe esse aliquid in natura, quale pyrius pulvis, nisi experimento convicti, ægre crederemus.

Quicquid vero sit de arte & historiis, quæ tanquam quædam sanctorum Legendæ apud Artis filios (quo sibi nomine multi placent) passim circumferuntur; olim à Theobaldo ab Hoghelande, nuper ab optimo & doctissimo Morhofio hujus credulitatis non experte, constipatæ; saltem ad doctrinam pertinebit, ænigmata quædam Chymica dissolvi. Habetur in nonnullis Manuscriptis Codicibus opus, quod inscribitur: **Στεφάνῳ Ἀλεξανδρέως οικουμενικῷ Φιλοσόφῳ καὶ διδασκάλῳ τῆς μεγάλης καὶ ἱερᾶς τέχνης πράξεις.** Stephani Alexandrini Oecumenici Philosophi Magistri magnæ & sacræ artis Praxes. Ad Heraclium Augustum opus fuisse scriptum ferunt. Ibi praxi sexta habentur versus, quos ita emendatos (passim enim corruptè leguntur) exhibemus.

Ἐννέα γράμματα ἔχω, τετρασύλλαβός εἰμι, νόειμε.
 Ἄι τρεῖς αἱ πρῶται δύο γράμματα ἔχουσιν ἑκάστη,
 Ἡ λοιπὴ δὲ τὰ λοιπὰ, καὶ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πέντε.
 Τε παντὸς δ' ἀριθμῷ ἑκατοντάδες εἰσὶ δις ἑπτὰ,
 Καὶ τρεῖς τοῖς δεκάδες καὶ δις τρία. Γυνεὶ δὲ τίς εἰμι
 Ὅσον ἀμύητος ἔση τῆς παρ' ἐμῷ σοφίης.

Quæ Latino versu ita reddidi.

*Literulis noscor quadrisyllabus ipse novenis :
 Syllaba habet binas, nisi quòd tenet ultima ternas,
 Vocales quatuor, quinis non propria vox est.
 Bis septem vicibus numerum centuria totum
 Ingreditur, decadesque novem, tum bis tria. Si me
 Noveris, hinc aditus ad sacra nostra patent.*

Hos versus mysticè explicat Stephanus sensu proprio dissimulato. Sed constat significari *Arsenikon*, quod tali schemate patet.

Syllabæ	I	2	3	4	5	6	7	8	9
Literæ	I	2	3	4	5	6	7	8	9
Vox	A	P	C	E	N	I	K	O	N
Vocales	I	.	.	2	.	3	.	4	.
Consonantes	.	I	2	.	3	.	4	.	5
Numeri	1000.	100.	200.	50.	100.	200.	500.	1000.	2000.

	1000.	100	200	50	100	200	500	1000.
		1400	.	.90	.	6	.	.
		bis septem centuria	.	ter tres decades	.	bis tria	.	.
								1496

Satis faciunt autem literæ pro numeris sumptæ, si α significet 1000, & I unitatem ut nonnunquam usurpari Grammatici notant. In Codice Stephani, quem vidi, legitur, *εκατοντάδες είσι διακόσια, και τρείς τρεις δεκάδες ή τέσσαρες.* Et in fine *της παρ' εμα' ἀφελείας.* Sed hæc numeris minus respondet. Et crediderim, obscurandi veri vocabuli consilio quadam sive ab autoribus, sive à describentibus immutata.

Aimarus Ranconetus Præses Senatus Parisini, apud **Cardanum** (lib.

(lib 1^o. de Var. Rer. Cap 150) eosdem versus in nescio quo Codice reperit. Legit autem, *ἑκατοτάδεις εἰσι δῖς, ἀκτὰ ἢ τρεῖς δεκάδεις, οὐδ' ἑπτὰ*; quasi essent duæ centuriæ, & octo ac novem, id est 17 decades Computat solas consonantes, & semel omittit N. Itaque P, Σ, N, Κ dare 100, 200, 50, 20, id est 370, nempe duas centurias, 200, & 17 decades seu 170. porro *οὐδ' ἑπτὰ* interpretatur cum T. 300, *ἑπτὰ* seu 7. Decades, quod rursus facit 370. Sed vocales non computari, eundem numerum bis confici, N semel omitti, *ἑκατοτάδεις* legi *δῖς*, pro *δύο*, parum congrua sunt.

Aterum ænigma extat apud Basilium, & his versibus Germanicis continetur:

Fünf Bucher hat uns zugericht
Motes allein durch Gotts Gedicht
 Die *wen'ger Zahl* sein'n Buchern folge
 Wie da geboten ist sein'm Völk
Drey Patriarchen *stumm*
 Erklärens in einer lumm
Ein Zeüge redt mit höchster Stimm
 wer gar *nichts* gilt ist lehr im Sinn
Fünzig ist mehr denn *Fünf* die Zahl
 Und sind doch nur *zween* überal
Tausend betchliessens End zugleich
Wers versteht der ist ganz reich,
Fünf Ding im *Leb'n* solchs offenbaren,
 Und *fünf* im *Tode* dabei auch waren,
Viere sprechen das Urtheil aus,
 Das *ein'* allein richt nur den Strauß.

Hac ita Latine olim adolescens converti: & explicationem margini ascribo;

	V	<i>Quinque</i> libros fecit Divino Numine Moses,
	I	<i>Quos numerus</i> Josuæ suscipit inde <i>minor</i> .
	CTR	<i>Tres muta</i> populis Patriarchæ voce loquuntur,
	I	<i>Unicus</i> hostestis verâ dedisse probat.
duæ literæ	O	<i>Nil</i> agit, hæc qui non attenda mente revolvit,
	LV	<i>Nec quinquaginta quinque</i> subesse videt.
	M	Sunt tamen illa <i>duo</i> , queis si <i>millena</i> subirent,
	finalis.	<i>Divitias</i> sapiens <i>sine</i> parare potest.
in syllaba prima	V	<i>Nascenti quinos</i> comites assistere cernes,
in syllaba ultima	V	<i>Quinque</i> etiam comites mox <i>mortentis</i> erunt.
Syllabæ quatuor.		Sunt <i>quatuor</i> , quorum nutu sententia fertur :
Una vox, Vitriolum.		Judicio prodit res tamen <i>una</i> suo.

Nempe Germani sæpe pro Vitriolo legunt scribuntque *Vitriol*, corruptè, quasi a victoria derivaretur ; cum constet, *Vitrum* Latinis etiam colorem cœruleum significare.

At Ænigma Basilianum a Græco dissentire videtur. Ita est: erunt tamen fortasse, qui conciliationem comminiscuntur. *Nosstrum* Vitriolum, *nosstrum* Arsenicum clamant illi, qui se unos philosophos appellandos contendunt. Nempe est in arcanis eorum schedis, ad quas aliquando, tanquam ad Eleusinia sacra admittus sum, materia quædam, cui utrumque nomen non inepte attribui possit.



III.

Godefridi Guilielmi Leibnitii

Annotatio de quibusdam Ludis ; imprimis de Ludo quodam Sini-
nico, differentiaque Scachici & Latrunculorum,
& novo genere Ludi Navalis.

Sæpe notavimus, nusquam homines quam in ludicris ingenio-
siores esse : atque ideo ludos Mathematicorum curam mereri,
non per se, sed artis inveniendi causa. Ludi eventus fortuiti
in-